



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

XV. De apocryphis eorumdem Priscillianistarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

bonis titulis colorarent, omnia pene diuina eloquia sensuum nefandorum immiffione violarunt.

## XV.

De qua re quintidecimi capituli sermo conqueritur, & præfumptionem diabolicam merito detestatur, quia & nos istud veracium testium relatione comperimus, & multos corruptissimos eorum codices, qui Canonici titulantur, inuenimus. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle prælinirent, ne vsquequaque sentirentur insuauia, quæ essent futura mortifera? Curandum ergo est, & sacerdotali diligentia maxime prouidendum, vt falsati codices, & a sincera veritate discordes, in nullo vsu lectionis habeantur: apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdiciendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quamuis enim sint in illis quædam, quæ videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacuæ sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latentè operantur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscumque erroris inuoluant. Vnde si quis episcoporum vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub Canonicorum nomine eos codices in ecclesia permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se nouerit iudicandum; quoniam qui alium ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat.

## XVI.

Postremo autem capitulo hoc prodidit iusta querimonia, quod \*Dicticini tractatus, quos secundum Priscilliani dogma conscripsit, a multis cum veneratione legerentur; cum si aliquid memoriæ Dicticini tribuendum putant, reparationem eius magis debeant amare, quam lapsum. Non ergo Dicticinium, sed Priscillianum legunt, & illud probant, quod errans docuit, non quod correctus elegit. Sed nemo hoc impune præsumat, nec inter catholicos censeatur, quisquis vtitur scripturis, non ab ecclesia solùmmodo catholica, sed etiam a suo auctore damnatis. Non sit peruersis liberum simulare quod fingunt, nec sub velamine nominis Christiani Decretorũ imperialium statuta

\*Dictinũ